


DE
A V T O R I B V S
INTERPRETANDIS,
SIVE
De Exercitatione,

FRANCISCI SANCTII BRO-
censis in inclyta Salmanticensi Academia Rhetorices professoris.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXXI.



FRANCISCI SANCTII
 BROCENSIS IN INCLYTA
 SALMANTICENSI ACADEMIA
 Rhetorices professoris de autoribus inter-
 pretandis, siue de exercitatione.



MAIORIS esse semper credidi diligentiae aliena scripta retexere, quam noua proprio Marte componere. Nam ut opus componere nouum, si fauente natura, praecipua quae traduntur à Rhetoribus capessas: facilis via erit, facillimoque negotio, quod velis, indipisceris. Hinc est, ut saepe videamus quosdam linguae volubilitate: quos si ad Poëtam quempiam vel oratorem explanandum auocaueris: aut obmutescant protinus, suam inscitiam confitentes, aut, quod frequentius est, magno conatu magnas nugae effutiant. Quare qui in componendo operam suam non spernit collocare: in retexendo aliorum scripta oportet quoque laborare. Haec ratio ab Aristotele dicitur Analysis, qua spectare iubet operis iam confecti speciem num ad regulas & legem omnia sint accommodata, suisque omnibus partibus absoluta. Analysis igitur officium est totum opus, quod susceperit ex-

plicandum, à capite retexere. & primùm quæstionem inuenire, hoc est, quid sit id de quo agatur. Deinde argumenta quibus id confirmatur, aspicerè: & ad locos, vnde sumpta sunt, referre. Postremò dispositionis leges animaduertere, in illaque & argumentationes, & methodum considerare. Videreque methodone doctrinæ, an prudentiæ vsus fuerit auctor, cuius opus retexitur. Quæ omnia si enarratores librorum considerassent, non dubito quin sibi & aliis melius consulissent. Sed vt hoc exemplis illustremus, aliquas Horatianas Odas excutiamus ex libro tertio, quem hoc anno 1556. meis auditoribus explicauì: vbi sæpè supinam interpretum negligentiam sum admiratus. Prima igitur Oda pro titulo habet: *Varia esse hominum ingenia variâsque fortunas.* Quid hoc est, aut vbinam id canit Horatius? Longè alia Horatij mens est. Hac enim Ode docet tutiorem esse vitam illorum qui paruo contenti viuunt, quàm diuitum & regum, quândoquidem omnibus moriendum est: neque amplæ opes & diuitiæ possint aut curas leuare, aut somnum reducere. Hæc tamen omnia vita tenuis præstat. Hæc igitur est exoptanda. In secunda Ode tolerari poterat epigraphe. non tamen omnino sententiam assequitur Poëta. Quum potius id sentiat, quod alibi dixit: *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.* In tertia verò, quàm aliena sunt quæ præponuntur, ab his quæ scripsit Horatius? Quum in illa Oda Romuli sit apotheosis, qualem describit Herodianus in principio quarti. Quarta verò: *Musarum amicos,* docet, tutissimam vitam degere; curæque Diis esse: quod inductione probat.

probat. Cùm ad quintam ventum est, fateor, risum non potui continere, quum *Augusti laudes*, pro Epigraphæ legi. Consului deinde commentaria. O Deus bone, quàm fœtidè, quàm pueriliter argumenta eliciunt, Augustum maiorem esse Ioue, quando quidem Iouem ex fama cognoscimus, Augustû videmus præsentem. Quum potius sit querela contra Romanos, qui quum ad decus & libertatem sint nati: non erubescant captiui viuere à patria procul. Incipit igitur Horatius ab indignatione: Neque credimus Iouem in cœlo regnare: nec Augustus mortalis habetur Deus, & vrbs custos: quando hæc flagitia committuntur, vt miles Romanus Persis seruiat, & Carthaginensibus. Sed omnia velle persequi longum est, omnia enim sunt eiusmodi. Quare inspicienda methodus est: in qua semper Horatius ita fallit auditorem: vt nisi Lynceis contemplere oculis, credas illum centum proposita in satyra vna vrgeri: cùm simplex & vnum sit, quod vnaquæque satyra vel epistola contineat. Experiamur id in Arte poëtica, ad cuius expeditionem cùm plures quàm ad vellus aureum properarint, nullus tamen quid auri lateret, hætenus demonstrauit. sed lanam externam, eamque caprinam, pro aureo vellere omnes ostentant. Paucis igitur præceptis perfectum poëtam nobis describit Horatius, quæ ordine optimo sunt collocata. Pisones inuenio fuisse æditimos, quibus curæ fuit Comædis præmia distribuere: quos credibile est petiisse ab Horatio normam qua id possent pro meritis præstare.

PRIMUM PRÆCEPTUM,
DE FINE ET SCOPO QUEM
intueri debet Poëta.

SIt quod vis scribere simplex duntaxat & vnum,
 At dicat aliquis: Poëta his legibus nō astringun-
 tur: liberi enim sunt, quemadmodum & pictores.
 Falleris, inquit, si ista simpliciter accipis. Quis enim
 non irrideat pictorem illum, qui cū virginem pin-
 gere destinarit, pulcram ei faciem tribuat, collum e-
 quinum, variisque plumis obtegit, pictura denique
 in atrum piscem desinat? Eodem igitur pacto poësis
 reprehenditur, cuius inanes fingentur species, vt nec
 pes, nec caput vni reddatur formę. Quid igitur, dices,
 habet simile poësis cum pictura? aut vnde prouer-
 bium emanauit, *Liberi poëta & pictores*? Dicam, si po-
 tero, paucis. Accedit aliquis ad pictorem, petens vt
 in tabella Venerem formosissimam depingat, Num
 pictor vtetur illa sua libertate: & Venerem mono-
 culam effinget, barbatam, obequitantem, manibus
 hastam tenentem? Minimè, inquis, sed ei reddet il-
 lam formam quę maximè Venerem deceat. Rectè
 sanè iudicas: nec hic aliqua pictoris erit libertas: sed
 in his, qui in tabula sunt loci vacui circa Venerem.
 Nam in illis concessum est pictori, auiculas, flores,
 arbores, flumina pro arbitrio depingere; neque vitio
 vertetur illi, si multi variiq. generis flores ex vna ra-
 dice pullulent (quanquam natura semper est intuen-
 da) Sic Poëta si Achillem cantandum suscipiat, nulla
 vtetur licentia artis, vt nunc timidum, nunc fortem
 describat:

describat: alias pium, rursus deorum contemptorem, sed semper idem erit, qualem fuisse accepimus. Dum tamen huius egregia facta Poëta concinit: pro libito Lucum describet, vel flumen, vel Dianæ aram, vel pluuium arcum. Atque etiam hæc cum moderamine certa q. lege: non enim semper his locus est: nam qui non debito loco mihi lucum describit, aut sapè id facit, suspicionem ingenerat, nihil illum melius scire: quemadmodum iners ille pictor, qui vbique cupressum appingebat, etiam in naufragiis. Quare danda opera est, vt id quod aggredimur, sit vnum, eodemque tenore procedat: Ineptum enim figulum iudicabimus, qui amphoram cœperit instituere, vrceolumque ex suscepta massa confecerit.

SECUNDVM PRÆ-
CEPTVM.

ITa vitia sunt coniuncta virtutibus, vt fallant oculatissimos quosque nisi arte discernantur. Id probat inductione. Breuitas virtus est eximia in oratione, vt scripsimus cap. De narratione. Hanc verò dum sequi cupio, in vitium obscuritatis delabor. Præterea, tres sunt scribendi characteres, teste Cicerone. Nam tenuis & gracilis est stylus, acutus, omnia docens, non amplificans, subtili quadam & pressa oratione limatus: hunc qui volunt sectari, ita sese extenuant, vt serpente humi dicantur ab Horatio. Est & alius stylus plenus, cum ampla & sententiarum grauitate & maiestate verborum, vehemens, varius, copiosus, grauis: ad permouendos & conuertendos animos instructus:

hunc qui affectant, si arte careant, pro gravibus & grandiloquis, turgidi & inflati fiunt: vt, *Torna Mimalioneis implerunt cornua bombis*. Ille enim stylus turgidus & inflatus est, non sublimis. Est & alius stylus interiectus intermedius, & quasi temperatus ex utroque, vicinus amborum, utriusque particeps, vel potius expers, vno tenore in dicendo fluens, ornamentis modicis verborum sententiarumque orationem picturans. In quo Virgilius excellit in Georgicis. Hunc vocat Horatius læuem, id est, splendentem & nitidum, quem qui sine arte modulari student, carmina sine neruis & animis componunt. Varietas in super virtus maxima est in poësi, solet enim animos mirum in modum allicere: sed hanc comitatur vitium vel maximum: Nam qui cupiunt variare rem aliquam: nulla lege aut arte id facientes, portentose delphinum siluis appingunt, fluctibus aprum; credentes hanc esse veram varietatem. Denique dum vitium fugimus stulti, in vitium incidimus. Neque fatis est artem in vna alteraque parte callere, quum tot Poëtæ sint necessaria: nam infelix ille faber est, qui capillos & vngues ad amussim exprimit, si totam statuam nescit partibus suis adaptare. Nec ille formosus est, qui nigros oculos nigrumque capillum est fortitus, si tamen deformis nasus totam oculorum præstantiam deturpat. *Molles capillos* dixit quum de ære loquatur, id est, aptos & ad viuum depictos. Sic Virgilius:

*Excudent alij spirantia mollius æra. Idem,
Et molli circum est ansas amplexus acantho. Martia.
Nec Trivia templo molles laudentur honores.*

TERTIVM PRÆCEPTVM.

DE COLLOCATIONE RERVVM

ET VERBORVM.

*S*umite materiam, &c. Optima dispositione nihil pulchrius. Huic igitur incumbat Poëta: obseruetque qua methodo sit disponenda materies: diximus esse methodum prudentiæ, atque doctrinæ. Horatius prudentiæ ordinem in poëtis probat. Non enim vt quæque natura prima sunt, ita primùm narranda: sed dicenda primùm, quæ primò dici postulant: pleraque differenda & in præsens tempus seruanda. *præsens tempus* vocat proprium, & commodã opportunitatem: quædam verò retinenda & amanda: quædam omnino repellenda. Si quæras quomodo tantam rem assequaris, accipe præceptum. *Sumite materiam vestris qui scribitis equam Viribus, & versate diu quid ferre recusent, Quid valeant humeri:* nam qui rem de qua dicturus est bene legerit; id est, selegerit, & perpenderit: neque methodo & ordine lucido destituetur, neque etiam facundia. Omnis autem oratio (vt cum Quintiliano loquar) constat aut ex his quæ significantur, aut ex his quæ significant, id est, rebus & verbis. Quare Horatius hoc in loco de collocatione simul & inuentione verborum disserit: *In verbis etiam tenetis.* Quasi dicat in verbis collocandis memor esto prouerbij, *Communia nouè, noua communiter.* Nam si ex verbis tritis & obuiis cui libet tuam telam texueris, & in collocatione aliquid ingenij ostenderis, nouus & nitidus apparebis. exempla

non longè petantur; nam ipse apposuit Horatius, quum *iuncturam* appellat *callidam*. Callidum enim, quum de homine dicatur, nouè tribuit iuncturæ. Nouè item ex verbis tritis dixit Virgilius, *Et pontem indignatus Araxes*. Hic nullum nomen nouum est: cum iunctura sit noua & pulcherrima. Idem: *Feruumque armare veneno*. Addit etiam Horatius licere nouis rebus noua nomina inuenire. M. Cornelius Cethegus Annibalis temporibus consul fuit, G. Cornelius Cethegus annis octo post creatus consul & in Hispaniam missus xv. millia Hispanorum vno prælio cecidit. Hi igitur Cethegi (vt coniectari par est) non togati more Romanorum obambulabant, sed veste militari (quæ cinctus dicitur) induti. Quare Horatius nouum morem nouo vocabulo nominauit; appellauitque *cinctutos*. Sed pudenter (inquit) hac vtamur licentia, id est, semper cum aliqua præfatione temperetur. qualis est; Vt ita dicam: vt sic loquar: liceat sic nominare. Cicero: Nam & grandiloqui, vt ita dicam, fuerunt. *Et noua fietaque*. Etiam aliquando, inquit, nulla cogente necessitate verba poteris effingere, non tamen pro libito, sed ex Græcis fontibus deriuata: vt, Rhetorica, Dialectica, Philosophia, trichinium, dica pro lite, acta pro littore. Virgilius: At procul in sola secreta Troades acta. Hinc Martialis carpit Æmylianum, quòd Mistyllum pro cocco dixerit, ductus ~~fronem~~ siculo: *Mistyllon & ara t' alla*, id est, secabant sanè alia. Quare, inquit, Martialis:

Si tibi Mistyllus cocus Æmyliane vocatur:

Dicetur quare non Taratalla mihi?

Ergo

Ergo parcè detorquenda sunt nomina & cum iudicio. Ac tandem linguam Latinam ditare cur non licebit, vel nulla cogente necessitate, etiam si à Græcis nihil mutueris? Nam Cicero primus dixit fauorem, & urbanum. Terentius, obsequium. Plautus & Ennius multa finxêre nomina. Horatius addidit pro exemplo (*Inuideor.*) Vltimum denique præceptum circa verba collocanda est, vt possimus aliquando vetusta & obsoleta vocabula renouare. vt profapiam, pro genere, olli pro illi, fuat pro sit, indugredi pro ingredi. Hæc omnia pulchra similitudine, & argumentis à minori dictis confirmat: vsuq; plurimum valere contendit.

Q V A R T V M P R Æ C E P T V M.

SINGVLA QVÆQVE LOCVM

teneant sortita decenter.

Roscus apud Ciceronem caput esse artis decere, solebat dicere: quod tamen vnum id esse; quod tradi arte non posset. Et Cicero ipse: Est (inquit) eloquentiæ: sicut reliquarum rerum fundamentum sapientia. Vt enim in vita, sic in oratione nihil est difficilius, quàm quid deceat videre. Prepon appellant hoc Græci, nos dicamus sanè decorum: de quo præclare, & præcipiuntur, & res est cognitione dignissima. Huius ignoratione non modò in vita, sed sæpissimè & in poëmatis, & in oratione peccatur. Est autem quid deceat oratori videndum, non in sententiis solùm, sed etiam in verbis. Non
cinm

enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec verò locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est aut sententiarum. Hoc autem in re, de qua agitur, positum est: & in personis & eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. Hæc Cicero. Nunc nostrum Poëtam audiamus omnia hæc fusius tradentem. Agit enim primò de decoro verborum, id est, pedum siue carminum. deinde de re ipsa: hoc est Tragœdia & Comœdia. Postea de personis, & eorum ætatibus.

Res gestæ regum. Non omnia, inquit, eodem carminis genere sunt celebranda: indecorum enim fuerit Lyricis carminibus bellum Troianum exarare. Quare res gestæ regum & horrida bella heroico carmine celebrari debent: quod satis Homeri poësis ostendit. Elegiaco carmine primùm querelæ tantùm scribebantur: vnde Elegum dicitur, id est, flebile. Postea tamen res lætas est complexum, & amores. Huius carminis inuentor incertus est: quanuis Terentianus Maurus Callinonum dicat. Iambico carmine scriptæ sunt imprecationes: inuentor fuit Archilochus. Id enim sentit Horatius quum dixit (*proprio.*) Scribuntur hoc pede Tragœdiæ & Comœdiæ: quia maximè aptus est *alternis sermonibus*, id est, interrogationibus & responsionibus, vt inquit Aristot. Et Cicero in Orat. ~~per se~~ *Magnam* (inquit) partem ex Iambis nostra constat oratio, *Natus est etiam rebus agendis*, id est, tractandis. Vnde in actus diuiditur Comœdia. Lyrico versu referuntur hymni, encomia, & Olympica certamina, in quibus Pindarus pugiles

pugiles celebrat, & reges equis vincentes: referuntur
& amores iuuenum, & libera conuiuia.

Descriptas seruare. Indignatur Horatius, & in illos inuehitur qui se putant Poëtas, si versum claudere didicerint: quasi eodem carmine scribatur Comœdia, quo Tragœdia. An non ita est? nõnne iisdem iambis, iisdem trimetris, eadem denique lege metimur carmen Comœdiæ & Tragœdiæ? Verum est: sed in decoro maxima est differentia: nam senarius comicus non ferè differt à sermone populari & cõmuni. Senarius Tragicus figuris & tropis, historiis, fabulis, similibus est refertus. Exempla ponit Horatius: *Versibus (inquit) exponi tragicis res comica non vult.* Expende versiculum hexametrum, quàm longè absit à maiestate carminis, nihil habet pœseos præter pedes: Comicis denique verbis & popularibus, & minutis est compositus? Præterea vno versu absoluit rem Comicam. Attende duos sequentes quàm Tragicos, quàm tropis & figuris ornatos. *Indignatur item &c.* Quauis aliquando contingat, vt decorum ita postulet, vt Comœdia attollatur, Tragœdia deprimatur: Attende quibus verbis id dicat Horatius, & quomodo duobus versibus eisque paulum ornatioribus de comœdia loquatur: & tragœdiam vno versiculo absoluat. Subdit nihilominus vtriusque parti exemplum: Nam quomodo Comœdia vocem tollat, ~~declarauit quomodo~~ *Chremetis*: quo verò pacto Tragœdia se gerat submissius, exemplo Telephi & Pelei, qui quum essent à patria terra exules, & pauperes, in Tragœdia inducebantur humili sermone vententes, & ampla magnificaque verba proiicientes, id est,

est, abiicientes. Nam si aliter inducerentur, rideret auditores, aut dormitarent, supinam Poëtæ negligentiam notantes qui decorum personarum non animaduertit.

QVINTVM PRÆCEPTVM,

DE MOTV ANIMORVM.

Non satis est pulchra esse, &c. Hoc præceptum pendet à superiore: adhuc enim de decoro personarum seruando agit: sed quia insuper tria videntur sunt Poëtæ, vt doceat, moueat, & delectet: agit nunc de præcipua illa parte, quæ posita est in motu animorum. Nam cæteræ partes hanc comitantur: docere enim siue probare necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ. Qui igitur permouendi præcepta tradit, reliquarum tradit. Hoc verè est quod tradi arte non posse dicebat Roscius. Nihilominus tamen utilissimas admonitiones Horatij audiamus. Prima est: si vis alios ad lætitiã, dolorem, iram, misericordiam, & ad alios huiusmodi affectus pertrahere: te ipsum prius iisdem moue. Hoc præceptum non minus ad Poëtã ipsum, qui scribit: quàm ad actores siue histriones pertinet. Vnde legimus Æsopum illum celebrem histrionem quum Atreum ageret, ita ira excanduisse, vt sceptro percussum ministrum interfecerit. Hoc sibi ~~per se~~ Quintilianus, vt diximus quum de epilogo egimus. Secunda admonitio: Intuendæ sunt personæ dignitates, vt seruus, dominus: ætates, vt senex, iuuenis: sexus, vt matrona, nutrix: officia, vt mercator, arator:

tor: nationes, vt Colchus, Assyrius: patriæ, vt Thebanus, Argiuis. Si verò quæras quomodo in his te debeas gerere, quidue faciendum: postquam hæc cōsideraueris, ipse tibi demonstrat Horatius, qui non solum quid faciendum; sed quomodo id fiat ostendit. Considera, inquam, epithera quæ in præcipiendo apposuit, & regulam habebis breuē quidem illam, sed magni momenti. Senex, inquit, depingendus est *maturus*, iuuenis *seruidus*, matrona *potens*, *sedula* nutrix, &c. Tertia præclara & à paucis intellecta admonitio. Aut scribis res notas & ab aliis celebratas, aut nouam & inuisam arripis scribendi materiam. Si notam rem scribis, famam sequere: non enim licebit tibi à fama discedere: nec Polyphemum, aut Achillem, aliter quàm ab Homero depinguntur, fas erit tibi depingere: nec Medeam nisi ferocem & inuictam, &c. sin autem noua scribis, sibi conuenientia finge: hoc est, seruetur ad imum res illa qualis ab incepto processerit, & sibi constet. Denique in rebus iam notis standum est alieno decoro: in nostris verò standum est naturæ & philosophiæ rationibus. Id quomodo possis assequi, statim aperiet: nunc ex ipsa re quæstionem natam prius dissoluit: in qua quæri solet: Maior ne laus & fama nobis accrescat ex publica materia, quàm ex nostra & nuper inuēta. Quæstionem breuiter absoluit, inquit: Quemadmodum difficilius est publicam materiam propriè dicere (quia omnibus ex æquo est proposita, & plures habet iudices) ita potior laus & maior sequitur Poëtam, si res communes sibi facit proprias, quàm si primus indita proferret. *Et rectius. i. melius & cum maiore laude*

ex historia HomERICA compones Tragœdiam, quam si nouam tu teipſe excogitaſſes.

Publica materies, &c. Nunc exequitur præcepta quæ ſeruanda ſunt illi, qui publicam materiam conatur efficere ſuam. Primùm ne moretur in periodis vilibus, periodum vocat orbem: deinde ne ſit fidus interpres; cuius officium eſt verbum verbo reddere: aliqua etiam prætermittantur, quæ ſi cantare coneris, aut turbabunt ordinem, aut ſibi pugnabunt: denique te arctatum & implicatum cernent, qui nouerunt hiftoriam: nec incipies inflatus vt ſcriptor il-

Hac 17. le Cyclicus: *Fortunam Priami cantabo. &c.* Nam qui ſic incipit, maiora promittit: quod ſi poſtea non præſtat, ridebitur. Ex hoc loco, quidam ineptiſſimè reprehendunt Lucanum: *Bella per Emathios. Silium Italicum, Ordior arma, quibus: Statium, Magnanimum Æacidem formidatamque Tonanti Progeniem.* Quasi verò vetet Horatius à magnis principiis exordiri, ſi totum opus conſonet principio. Sed illos taxat qui magna pollicentur, & nihil oſtendunt. Id quod appoſitiſſimo declarauit exemplo: Parturiūt montes nafcetur ridiculus mus. in quo verſu adhuc notabis, primam partem grauibus compoſitam verbis magnum quid enunciare: ſecundam ita paulatina decreſcere, vt in vnam dictionem monosyllabam deſinat, epitheto etiam appoſito ex gracilibus literis, i, & u. Nunc omnia præcepta quomodo ſeruarit Homer. demonſtrat, qui bellum Troianum & Vlyſſis hiftoriam à multis decantata & in ore omnium poſita, propria & ſua effecerit, vt ſcriptor belli Troiani dicatur, quum plures belli Troiani extiterint ſcriptores.

earmina videtur alieno loco poſita. locu haberet poſt illa: Amphora cepit inſtitui eurr. Nā hic agit de partibus Tragœdia, de cuius initio regule tradit. n poſ. ſi.

Tu quid ego & populus, &c. Secundam partem ag-
 greditur, quæ ex nobis aliquid gignimus. In hac parte,
 inquit, non standum est famæ, sed ex morali philo-
 sophia eruenda præcepta: quæ tibi omnia collecta
 proponit Horatius plenius ac melius Chrysippo &
 Crantore. Maximè tui operis, ait, decorum seruabis,
 si ætates cuiusq. personæ loquentis considerabis. Hæc
 omnia plana sunt: solum adnotabo in senum ætate;
 malè intelligi à Laurentio Valla versiculum illum,
Laudator temporis acti se puero: non enim ordinandū
 est, laudator se puero, sed acti temporis se puero.

SEXTVM PRÆCEPTVM,
 DE RERVM DECORO, VEL DE
 Comœdia & Tragœdia, & ipsa-
 rum partibus.

NEc hoc præceptum aliud est à quarto, diximus
 enim decorum versari circa personas & res: sed
 perspicuitatis gratia separamus, simul quia Horatius
 ad Tragœdias & Comœdias totum se conuertit. *Aut*
agitur ergo res in scenis, aut acta refertur. Hæc distinctio
 huc spectat, ut quæ optima credideris in actione, mi-
 nimè narrentur esse facta, sed agantur palàm: nã quæ
 videmus ~~validiora~~, quàm quæ audi-
 mus. Quædam tamen etiam si sint admirabilia, po-
 tius narranda sunt, quàm in theatris peragenda: Cir-
 ca hoc decorum reprehensus fuit Euripides (ut ait
 Aristot.) quòd Medeam in teatro fecerit filios suos

trucidantem, denique nefaria aut incredibilia non oculis, sed auribus obiciantur.

Næue minor quinto. Quoniam Tragædia (vt ait Aristot.) actio est vnius solis vel paulò plus minùsue: in quinque actus videtur propriè posse distribui, vt temporis seruetur decorum. *Nec Deus interfit, nisi magnopere causa postulet: nec quatuor personæ simul loquantur:* quod & si sæpè facit Terentius, ita tamen ordinat sermonis seriem, vt nihil sit impedimenti, aut confusionis: nam si tres loquantur, quarta ex occulto sola loquitur: & loquentium sermones aucupatur.

Auctoris partes chorus. Nunc illa Horatius aggreditur, quæ aut sunt ex fabula, aut fabulæ partes: vt chorus, tibiæ, tibicen, epifodia, siue Satyri.

Chorus, inquit, auctoris partes defendat, id est, aliquando in auctoris laudem secedat; non enim ex ipsa fabula constat chorus, sed ex his qui extra fabulam sunt, vt populus aut nymphæ, aut aliquid simile. Defendat officium virile, hoc est, in virtutis laudem sit multus. *Officium virile*, quid sit, video à multis ignorari: nihil aliud tamen est Aristoteli, quàm virtus ipsa. Ethic. libro primo, cap. 7.

Tibia in fabulis antiquis tenuis erat, paucisquæ prædita foraminibus: sed postquam creuit populus: & tibiæ, & tibiæ ornamenta sunt adaucta. Maior enim populus, & qui minus attentus quàm antea conueniebat, propter diurnas comenationes, maiore tibia erat excitandus.

Tibicen qui ante sedens canebat, postea cœpit Scenicis vestibibus ornari, & per theatrum syrma trahens spaciari.

Carmina quæ antea à Musicis canebantur, cõmunia erant, & popularia: postea adedò res rediit, vt cum Delphicis oraculis concertarent, adedò eloquétiam & Diuinam sententiam redolebant.

Carminè qui Tragico, &c. Agit tandem Horatius de Episodiis vt vocat Aristot. quos hic vocat Satyros. Locus hic est obscurissimus, & à nemine hæctenus (quod sciam) animaduersus. Episodium, est (vt ait Suidas) id quod inducitur & adiicitur præter legitimam fabulam risus gratia. hoc vocat Horatius Satyros, vel Faunos, vel Silenos. Hispani vocamus, *Entre-meses*, quòd inter medias actiones irrepant. Vnde igitur hæc Episodia ortum habuerint, declarat, inquis: Poëtæ tragici, etiam si graues sint & asperi, tentaerunt an risum possent elicere salua tragica grauitate: quare Satyros nudauerunt, id est, inuerecunda induxerunt Episodia, quia functus sacris auditor & bene potus, & sine lege & ordine sedens, erat iocis & aliqua nouitate detinendus. *Verùm ita risores, &c.* Satyri in Tragœdia risus ciendi gratia quanuis inducantur, memineris tamen te Tragœdiam agere. et ita risum attemperandum esse, vt Tragœdiam deceat. Nã quid magis indecorum, quàm si rex aliquis aut heros pulcherrimis & regalibus conspectus vestibibus, subito vilissimum dicendi genus arripiat? aut contrà ne videatur humili sermone vti, ita infletur, vt nubes transcendere videatur? Tragœdia denique inter proteruos Satyros patitur interiri pudibunda, similis matronæ graui, quæ festis diebus aliquando cogitur choreas ducere. *Non ego inorn.* Quo stylo componenda sint episodia docet. Scio, inquit, moris esse, vt sa-

tyri scribantur verbis inornatis, id est, communibus: & dominantibus, id est, propriè vnamquamque rem, etiam obscenam, enuntiantibus. Sed ego non solùm his ero contentus verbis propriis & significantibus: nec solùm illud obseruabo, vt Silenus in Satyra multum distet ab ancillula proteruula & audaci, quæ est in Comædia: Hæc enim obseruanda sunt: sed nõ solùm (inquã) his ero contentus: sed ex notis & cõmunibus verbis tale texam carmen, quale quisque se posse præstare credat: quum tamen id experiatur, frustra erit, ludetque operam. Nam, vt diximus, callida iunctura tritorum verborum tantum potest, vt noua & inaudita videaris efferre. Satyri denique in Tragædia nec sint nimium lasciui, nec obsceni & spurci: nã offenduntur equites, qui spectant Tragædiam, & reliqui homines, etiam viles, nec probant, nec præmio dignum iudicant Poëtam: Vide adag. Ciceris emtor.

His sex præceptis, aut veriùs, quatuor, complexus est Horatius quicquid ad perfectionẽ poëseos spectare poterat. Nunc aliquas prosequitur quæstiones, quæ ab illis præceptis pendent: quas in hunc locum distulit, ne præceptorum turbaret claritatẽ. Nam qui præcipit, breuis esse debet.

POETÆ NE GRÆCI AN

LATINI DILIGENTIORES,

ET DE PEDIATIS.

Syllaba longa breui subiecta vocatur Iambus;
Pes citus: vnde etiam trimetris accrescere insit
Nomens

*Nomen Iambicis. Quum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem, &c.*

Fabula, inquit, constat ex pedibus iambicis: Iambus porro ex syllabis duabus, prima breui, altera longa: qui pes adeò currit celeriter vt fas sit, & ius iambico senario accrescere nomen trimetro. Id est, quum sit senarius, propter celeritatem aptè etiam vocatur trimeter: de quo dixit Quintilianus: *Sex enim pedes tres percussiones habent.* Hic, inquam, iambicus senarius, quum senosolim ictus reddebat, ex puris iambis constabat; sed iam, non ita pridem, recepit in locis imparibus spondeos socios vt grauior aliquanto exaudiretur: nõ tamen ita socium admisit spondeum, vt illi cederet secundum locum, aut quartum, nec etiam sextum, quæ sedes propria iambici est. Verbum (iussit) diuisi in ius-sit: vt infra, *sit ius, liceatq; perire Poëtis.* Hunc pedem & hanc legem nec Accius nec Ennius in suis tragædiis seruaerunt. Quid ergo agit vterque? Mit- tit in scenam versus quidem sonoros, sed properatos, & carentes cura & lima, atque ita premit, id est, cudit & vix exprimit, vt appareat ignorasse artem. Et quod peius est, sic se defendit. Quis est aut quotusquisque qui inter agendum possit iudicare legitimus ne sit iambus nec ne? Præcipuè quum Romanis Poëtis hæc indigna sit concessa venia? Ah, quantò rectius esset, si Poëta quum carmen condit, ~~visum~~ cunctos crederet peccata, quæ committat. Hoc vitare culpam est, non laudem mereri, & intra spem veniæ securitatem sibi promittere. Quid igitur agendum? Euolue Poëtas Græcos, ad illorumque normam tua scripta dirige. Nam qui Plautum conatur imitari, nec versus

faciet, nec iocos homine docto dignos vnquam proferet.

VNDE ORTVM HABVERINT

FABVLÆ: ET QVIS QVÆQVE

IN HIS INVENERIT.

I*gnotum Tragicæ.* Thespis Poëta primùm inuenit Tragædiam, actoresque plaustris circumuehebat facibus perunctos, ne agnoscerentur. Æschylus tragicus inuenit personas quibus actorum obtegeret vultus, & agere instituit in theatris, idemque grädiloquentiam, & cothurnos inuenit. Postea inuenta est Comædia vetus, quæ maxima cum libertate notabat prauos ciuium mores, sed hæc licentia lege cohibita est, & chori sublati sunt. Hæc de Græcis. Latini, autem omnia cum laude têtarunt, nec minus clari fuissent lingua quàm armis, si quæ scribebant, voluissent limare: poëma verò nisi sapius castigetur, reprehensione non carebit.

VTRVM INGENIVM AN ARS

PLVS IN CARMINE CON-
DENDO VALEAT.

I*ngenium misera.* Dicebat Democritus poëtas non fieri, sed gigni, quare ingenium siue natura & furor ille insitus efficit Poëtam, non ars. Hanc quæstionem paulò pòst dissoluit Horatius: nunc irridet illos, qui huic Democriti dicto adhärentes, nec vngues, nec capillos

capillos, nec barbam abscindunt: & secreta loca pe-
tunt; & balnea vitant: quasi illud sit quod Poëtâ pos-
sit efficere. Addit ridens: ô me dementem, qui quot-
annis bilem purgo, & munditiis indulgeo: quod si nõ
fecissem, iam in celeberrimum Poëtam euasissem. Sed
quando hac non successit, ero præceptor Poëtarum:
&, quid optimum efficiat Poëtam, ipse nihil scribens,
docebo. Proponit autem se dicturum quod in his car-
minibus sequentibus continetur: quod cum expleue-
rit, finiet artem.

Vnde parentur opes:

Quid alat formetq; Poëtam:

Quid deceat, quid non,

Quo virtus, quò ferat error.

HÆc est materia dicendorum vsque ad finem li-
bri. Vnde parentur opes egregie docet, inquis: *Scribendi rectè sapere est, & principium, & fons*. Quasi
dicat, sine sapientia, sine philosophia, inane est quic-
quid scribis. *Rem tibi Socratica*. Admonuimus supe-
rius ex Quintiliano constare orationem ex rebus &
verbis. Et Cicero in partitionibus vim Oratoris *in*
rebus & verbis esse dixit. Idem in calce, secundi de
Oratore: *Verba igitur*, inquit Crassus, mihi reliquit
Antonius, rem ipse sumpsit. Et noster Horatius in
principio artis: *Cui lecta*, inquit, *potenter erit res, & in-*
tra: In verbis etiam, *serendis*. Eodem er-
go pacto in hac parte inquit: Quum ex rebus & ver-
bis constet oratio: Res ab ipsa philosophia sunt pe-
tendæ, & à Socratica doctrina: nam sine philosophia
nullus extitit vnquam Poëta: Quam si rectè callue-
rit,

rit, de verborum inuentione iubebo illum esse quietam, aut saltem non sollicitum. Nam qui didicit quid debeat patriæ, quo amore parentes, quo amici, quo hospites amandi, & cætera quæ adiecit Horatius; non multum laborabit in inueniendis propriis cuiusque rei nominibus: Verba namque facilè sequuntur rem præuisam. Hac aliquanto longius congeffi, vt intelligamus quid voluerit Persius in tota prima Satyra: qui reprehendit scriptores qui repente Poëtae sunt effecti, qui quum versus inopes rerum, nugæque canoras effutissent, se perfectos Poetas existimabant. Quare meritò incipit exclamando: *ô quantum est in rebus inane*: in rebus, inquam, non in verbis, nam Pædus crimina rasis librat in antithetis, doctus posuisse figuras. Denique quamuis verba sint lectissima, versusque politissimi, non carent acerrima reprehensione: quia, vt inquit Cicero: *Si res non subest ab Oratore percepta & cognita, aut nulla sit oratio necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia, neque scientia?* hæc ille: quæ omnia optimè declarant scopum Persij in tota prima Satyra. *Gratis ingenium, Gratis dedit ore rotundo Musa loqui.* Hos igitur imitaberis qui, nisi laudis, nullius rei fuerunt auari. Contrà verò Romani toti sunt in pecuniis acquirendis, qui iam à pueris se totos dedunt ~~in centum aut mille partes poterunt dissecare, quum tantum in duodecim diuidatur.~~ *aut non ponent* ~~assent~~ in centum aut mille partes poterunt dissecare, quum tantum in duodecim diuidatur. Accedat exempli gratia filius Albinus qui rogetur à præceptore suo sic: Si de quincunce remota est vncia, quid remanet

manet puer? eia citò, iam poteris dixisse. Respondet: Triens. cui præceptor: en, bene, iam tu puer poteris rem tuam seruare: sed age, si additur vncia, quid fiet? respondet: semis. Itaque quum ita in pecunias intendant animum Romani, quâ fieri potest, vt duratura carmina possint exarare?

Aut prodesse volunt, aut delect. Secunda hæc pars est, quæ docet, quid alat, & formet Poëtam. Nam quum tria sint Poëtarum genera: vel potius tres Poëtarum scopi: in quo velis excellere, considerandum est. Quidam volunt prodesse tantum, vt Theognis apud Græcos, apud nostros Cato ille qui circumfertur. Quidam delectare tantum, vt Ouidius in Metamorph. Quidam verò vtrunque, vt Homerus & Virgilius. hoc genus longè cæteris antestat: hi Poëtæ sunt qui leguntur, & viuunt æternum. In quibus si fortè sit aliqua incuria, ignoscendum est, nam & peritissimi sagittarij aliquando aberrant ab scopo, & doctissimi musici dissonantiâ efficiunt. At contrâ, vt *librarius*, id est, librorum scriptor, si sapius peccet; venia caret: & citharædus qui semper eadem oberrat chorda, tidentur & exploditur: sic Poëta, qui semper eodem reuertitur, comparatur Charilo pessimo Poëtæ, quem, si bis aut ter aliquid acutè protulit, miror: quemadmodum etiam indignor quoties egregius Poëta Homerus dormitat. Notabis autem quomodo exprimitur *quandoque* contra omnium opinionem. Nam dictio (*quandoque*) apud Horatium semper pro (*quotiescunque*) accipitur. Vide Odam primam & secundam quarti Carminum. Expone igitur alia disputatione, sic, quemadmodum

B 5 pessimum

pessimum Poëtam miror, quando bis aut ter bonus
 est, ita indignor quotiescunque bonus dormitat Ho-
 merus. *Vt pictura poësis Erit, quæ si prop.* Tertium
 documentum, quid deceat quid non. Decet enim
 considerare in rebus omnibus tolerabilem esse me-
 diocritatem, non autem in poësi, quæ nisi fuerit op-
 tima, contemnitur: Causam reddit Cicero in fine
 primi de Orat. *A quibus, inquit, nihil præter volu-
 ptatem aurium queritur, in iis offenditur, simul atque
 imminuitur aliquid de voluptate.* Et ipsemet Hora-
 tius egregia hoc probat similitudine. Quum tamen
 hæc ita sese habeant, ut in rebus cæteris sit mediocrè
 laudandum, & Poëta non nisi optimus probetur: ta-
 men omnes audent versus fingere, & indignum pu-
 tant, si poësin ignorent: quum cæterarum rerum se
 esse rudes dicere non erubescant, ne rideantur ab a-
 stantium corona. Expedit etiam Poëtæ ut emendet
 quæ scripserit, & doctis etiam tradat emendanda.
 Deinde ne præcipitet opus, sed domi per multos an-
 nos retineat, quia domi subinde corrigitur, at post-
 quam euolauit, nescit vox missa reuerti. Nunc huic
 parti coronidem addit Horatius de præstantia & an-
 tiquitate artis Poëticæ disputans: quod non alia cau-
 sa facit, quàm ut ad rem præclaram excitet iuuenum
 animos: & tot præcepta ne pertimeant subire, quan-
 do quidem ars ipsa præstantia sua his & maximis aliis
 sudoribus non sit ~~in angustis~~ ~~in angustis~~ ~~in angustis~~

Natura fieret. Vltimum hoc est quod proposuit:
 quò virtus & ars nos ducat, quòue error & artis igno-
 rantia. Locus hic aptus est ad discutiendam quæstio-
 nem illam plùsne ingenium valeat an ars, quam quæ-
 stionem

fionem prius tetigit, nec soluit. Hic autem differen-
 dum est de præstantia artis, & de ignorantia malis.
 Respondet itaque, Nec artem sine natura, nec natu-
 ram siue ingenium sine doctrina quicquam proficere
 affirmo: ambo præcipua sunt, & inter se connexa. Sed
 si liberè sentiendum est: qui student optatam metam
 consequi, à teneris vnguiculis industria, laboribus, vi-
 giliis se macerent oportet. Nam si in Olympiis non
 accipit coronam, nisi qui multa tulit, nisi qui ab ipsa
 infantia se exercuit, nisi qui Venere & vino abstinuit:
 Et si cantores, vt in Pythiis ludis excellant non nisi
 plurimis laboribus & industria id assequuntur: quor-
 sum tu in arte omnium præclarissima sine doctrina,
 labore, sudore, sed solo ingenio & natura vis egregius
 haberi? Aspice rursus qui ingenio fretus tibi Poëta
 videris, quot te sequantur incommoda: Primùm quo-
 niam tu teipsum fallis, omnes te decipiunt. Nam scis
 comitem horridum (vt ait Persius) trita donare lacer-
 na; scis spondere leui pro paupere & eripere atris liti-
 bus; deinde tradis illi carmina emendanda: Et verum
 (inquis) amo: verum mihi dicito de me. Ille quid?
 Laudabit & in cœlum tollet, tundet pede terram, de-
 nique derisor plus quàm laudator verus mouetur.
 Multò sapiētius magnates agunt, quum aliquem vo-
 lunt probare, an sit amicitia dignus: torquent enim
 vinum & ita interiores omnes cogitationes scrutantur:
 iuxta prouerbiū: *In vino veritas.* Qui aduersus fa-
 ctos veros iudices vult adhibere, similes eligat Qui-
 ntilio qui nullo habito personarum respectu, vitia
 notabat; quæ si defendere conarère, te missum cum
 tuis carminibus faciebat. Hinc arrepta occasione Ho-
 ratius

ratius describit nobis optimum carminum emendatorem, *Vt mala quem scab.* Hoc aliud malum est, quod inscios comitatur Poëtas. Nam sicut scabiosos & phanaticos solemus fugitare: ita qui sapiunt, vesanum Poëtam auersantur, prætereà exagituratur à pueris, & fit vulgi fabula: nec iam vult seruari, & ad meliorē mentem reduci: erroresque suos diligit, veluti qui in puteum decidit, nec si quis demittere funem curet, ipse seruari velit. Quemadmodum Agrigentinus Empedocles philosophus & Poëta dum Siculos suam mortem voluit celare vt pro Deo coleretur, sese in Ætnam præcipitavit: Pereant, pereant fanatici Poëte, quando & volunt ipsi perire: non sit qui, quo minus id faciāt, obftet: nam *inuictum qui seruat, idem facit occidenti.* Hic versiculus non parum torquet eruditos, nonnullos etiam Grammaticos: at verò si consideres Horatium aliquando ex Græcis plurimas loquendi formulas arripuisse, nullus hîc scrupulus remanebit. Hoc nomen (*idem*) apud Græcos aptè iungitur datiuis: vt si dicas habeo idem nomen regi, hoc est, habeo idem nomen cum rege. Vfus est & Lucret. hac loquēdi formula lib. 3. in calce:

*Adde Heliconiadum comites: quorum vnus Homerus,
Sceptra potitus, eadem aliis sopitus quiete est.*

Et Ouidius in Ibin:

Vtq; duobus idem dictis modo nomen habenti.

Sententiam verò Horatiana prætereà sententia Seneca in Thebaide inquires:

Occidere est, vetare cupientem mori.

F I N I S.

ANTVERPIAE
EXCVDEBAT CHRISTOPHO-
RVS PLANTINVS, ARCHI-
TYPOGRAPHVS REGIVS,
ANNO MD. LXXXI.
MENSE SEPTEMB.

Præceptum aiusdam non contemnendum.

In componendis carminibus similitudo literarum s. Syllabarum non
semper vitanda est. nam interdum, apta literarum s. Syllabarum
allusio auris afficit voluptate ut in hoc versu Virgilij:

Auia tunc resonant auibg. — neq. est adu. ridiculo (ut Græ
maticis quidem videtur) ille versus Ciceronis: —

Œ fortunatam natam me consule Roman. s. n.
allusionem iucundam auibg non inenidit. ut hoc epigramate patet
videri: —

Dic mihi, Nympha cuius habitas que vallibus ECHO.

Semicaper Faunus cur ita clamat? ECHO, amat.

Quæ hîc, illa fuit cujus male sang. amore?

Diuitis an Cœli filia Nais? ECHO, ais.

Est opulenta quidem, sed turpibus obsita rugis.

Debit hanc bifrons ducere lang. ECHO, anus.

Candida me uel Thaumantias vrit amantem

Cyso forma deens & generosa. ECHO, rosa.

Flusq. amore flagro, sed hic resonabilis ECHO.

Quæ res ergo graues sunt in amore? ECHO, more.

Ver è conueniens, blandis & amoribus aptum

Tuo nouo sponsum me fore teris? ECHO, oris.

Interea gelidis in vallibus ipsa valeto,

Vox tua sepe mea voce sonabit. ECHO, abit. est autq.

hoc resonantia non m. elegans sed Latinae et. linguae propria id
quod frequens vsurpatio indicat ubiq. sunt obuia

